

agit ex præpotentia agens, sed ex appetitu suæ conseruationis, dum contrarium repellere ac in sui naturam conuertere vult entia sibiq; similia generare, vt Plato ait in conuiuio, & tu in fine huius disp. concedis. aliter potentiora semper agerent in minus potentia, & non reagerentur ab illis, vt vis in hac ratione, ab impotentibus. Et sic tãdem mundus ex contrarijs constãs destrueretur citò, quod non vult Arist. & tamen ex principijs eius eueniunt, ratio ergò nulla, si vult Arist. saluum.

Pro responsione dicendum est cum Telef. quòd calor, & frigus sunt contraria, idèò mutuò se oppugnant, calor autem fortior est; frigus minus forte; idcirco non ascendit vsque ad solem, vt deturber potentiam eius, sed sol quia magis valet emittit vires suas per lumen ad locum frigoris, & agit in illum non tamen omninò corrumpit, quia continuò instauratur varijs, diuersisq; modis, & dum sol agit in partem hæc, frigus occupat illam, & opera, quantum potest, caloris destruit, reagit autem dum viget, sin verò ab hac parte omninò deturbatur, non tamen à tota mole, & sic fit generatio. Hæc, & alia debebat perquirere à Telef. Sed ad pauca respicientes de facili enuntiant.

Quintò dicebat, tunc contraria per idem subiectum intenderentur, quòd impos. deducitur consequètia. Sit a calidum, quòd ad b frigidum habeat proportionem quadruplam, sic quòd totum a agat in totum b. ipsum autem b non agat, nisi in quartam partem a, quæ sit c, pars autem residua a, quæ non sit repassa sit d. quòd autem idem c, calefiat ab ipso d arguitur, quia d ad c est sufficiens cõtrarietas, cum d sit summè calidum, vt supponitur in casu, & c aliquo modo frigidum, cum patiatur à b per frigiditatem igitur c calefiat, & confirmatur, ait, d agit in b remotum per c medium ergò idem d agit in c nam non fit actio in remotum nisi per propinquum quare idem c calefiat à d, & frigeat a b. simul, & semel.

Et ex hoc inferbat pro sexto argumèto ergò hic aer qui est inter medius simul frigeat à terra, & calefiat à sole. Hoc nõ minus est contra Arist. quam in contra nos, cui, cum calor etiã agat, & frigus, vt nobis, sequitur in partem mediam caloris agentis: reactam à frigore, etiã calorem agere; & vtrumq; in eodem contrarium intendi subiecto. Item sol calore agit hæc inferiora siue à motu siue à lumine proueniente nihil ad nos pronunciat igitur aer inter medius calefiat à sole, & ab aqua, aut terra frigeat. Item deducitur contra eum eadem consequètia: nam stet pro pos. quòd calor, vt octo in generatione mixtorum agat in frigus, vt quinque, & arguatur eodem pacto.

Respondet ergò. Nos dicimus cum Tele. quòd quãdo maior, & potentior est calor agit molem in tenuitatem, & victoriam consecutus molem superatam eleuans tendit ad cognata corpora sursum, crassiores verò partes concretas in aliud ens relinquit, vt habetur I. min. capi. 22. & 24. & alijs. & propter multas diuersitates quæ fiunt, & sunt in actiuis, &

5

6

R.